





1. Michaelis / Joh. Georg. / diff. de viro stante  
inter Myrtos, Halle 1739.
2. Moller / Christoph Gottf. / diff. de genuina  
vorum xarakter et ypostasi notione,  
Lippie 1738.
3. Mosheim / Joh. Laur. / diff. de Jesu Christo  
vindice dogmatis de mortuorum ad  
vitam reditu, Helmst. 1740.
4. Müller / Gottfr. Ern / diff. de papolatrici.  
Lippie 1726.
5. Müller / phil. / diff. de jure Dei in Homines,  
jena ~~1667~~  
1701.
6. diff. de regno Israelis restauran-  
do, jena 1704.  
crocodilus lachrimans, jena 1733
7. diff. de Jesu Christo deandropo, jena  
1704.
8. diff. de gloria  
mundi jena 1667.

m. 17  
A. N.  
AD  
JOH. ANDR. DANZIUM,  
P. P. JENENSEM CELEBERRIMUM,  
DE  
PECCATO  
IN  
SPIRITUM S.  
ET  
DESCENSU CHRISTI  
AD INFEROS  
EPISTOLA.



---

SUOBACI,  
Sumptibus JOHANNIS JACOBI ENDERESII, 1732.

A. N.

JOH. ANDR. DANZIUM  
P. R. THEOLOGICAE FACULTATIS  
DE

PECCATO

IN

SPIRITUM S.

ET

DESCENSA CHRISTI

AD INFEROS

EPISTOLA



FRANCOFURTI AD M. 1711





# VIR EXCELLENTISSIME!

**Q**uotiescunque animo mecum reputo, quod frequentissime fieri norunt, quibus familiariter utor, quanta à Te beneficia, & quam humaniter cuncta acceperim, quæ culturam mentis meæ auxerunt, toties ingenuas verecundus rubor subit genas, non esse, quibus gratum declarare animum adhuc possim. Neque suppeteret profecto quicquam, quo curam, quæ me sollicitat, lenirem, nisi liberalitas naturæ tuæ, vel perspexisse meam in Te pietatem visa fuisset contenta, eoque solo nomine mea in te studia quoque probari, quantumvis levia tantoque Viro neutiquam digna, animadverterem. Quo factum etiam est, ut quæ de Peccato in Spiritum Sanctum à Salvatore, dum in his terris degeret, Pharisæis exprobrato, meditatus sum, non temere in divina oracula grassatus, quo plurimi dubium consilio an scelere ducuntur, Tibi exponerem, & in sinum quasi amicum effunderem, Tuum super illa re defœcatissimum, ex more, iudicium exquisiturus. Id ipsum vero tanto magis à Te, ut exspectarem, in causa fuit incredibilis perque orbem celebrata, qua polles sacrarum, quas cum applausu doces, linguarum & genii utriusque idiomatis, Ebræi Græcique, notitia, ex qua Te olim Duce felicissime hausta, hoc quicquid est lucis in illustrandis scientiæ locis, bonam partem mihi affulsisse fateor. Neque est, cur à vulgari Theologisque non unius partis trita me decessisse via Te credam esse objecturum, cum in necessariis veritas, in non necessariis libertas, in omnibus verò charitas, ut regnet, Te quoque in votis dudum habuisse, atque Ecclesiæ Christi vulnera eum in modum sanari optasse notum mihi sit & exploratum. Ego sane nihil improbavi magis, quam perversum multorum morem, qui, dum ire malunt, non qua eundum, sed qua itur, superstitioni potius videri præoptant, quam divinitus Scripturæ S.



ad exercitia veræ pietatis sanæque doctrinæ periti; nec minus approbavi quicquam lubentius, quam justam Viri Concordiæ inter Protestantés in-eundæ apud Francof. ad Oderam, studiosissimi nuperrimam querelam, qua dogmatibus divisim iterumque divisim, totum Theologiæ Lutheranæ Sy-stema in mera fundamentalia quosdam commutasse haud sine re scripsit. Quanquam ego vix mihi patior persuaderi, ex rigidiorum quoque fore censu, qui memoratum paullo ante de Peccato in Spir. S. argumentum, inter præcipua doctrinæ Christianæ capita numeret, nisi fortassis totus opinionibus & auctoritate Præceptorum regatur, vel, quod Theologum prorsus dedecet, altercandi agatur libidine. Quæ cum ita sint, sine cir-cuitione, quod sentio, edisferere constitutum est, & Peccatum in Sp. S. eo sensu, quo Salvator Optimus ejusdem Judæos egit reos, vel obnoxios po-tius fore vaticinatus est, à nemine hodie nisi Judæis committi, seu, quod aridet magis, non nisi à Majoribus Judæorum adscensionem Christi super-ventibus admissum esse, quoad ipsa everteretur Hebræorum Respubl. affirmare libet. Cujus antequam sententiæ rationum momenta expli- eem, luculentiorum expositionem brevibus præmittere opus esse video. Res eo redit: Uti triplici fœderis Evangelici statim ab infausto lapsu pro-mulgati, cum antea Legali pacto res hominum staret caderetve, dispen-satione, Divinæ mentis suæ arcana revelare mortalibus Numini Supremo placuisse constat, quarum prima meris nudisque, si sacrificia universe tan-tum injuncta excipias, promissionibus sine jugo legis imposito, absolveba-tur, Patriarchalis alias dicta; quam altera excepit per legem umbras fu-turorum bonorum & onus Ceremoniarum Mosis ministerio statutarum immensum, unde Mosaica audit, administrata, eo usque dum Messias ipse in lucem ederetur, atque dilucidis Evangelii prædicationibus tertiæ, quæ Evangelicæ Oeconomiam cognomen obtinuit, initium fecit stabilemque sedem fixit; Ita fortasse non minus licebit nobis, dum illi de veritate di-visionis triplicatæ digladiantur, tergemina ad Personarum S. Divinita-tis numerum adstrictam sive manifestationem sive dispensationem dicere malis, qua nempe, quælibet istarum ex abdito lucis divinæ adyto prodire voluerit, adstruere, idemque fundamenti loco nostræ substruere hypo-thesi. Scil. id omne, quod elapsum est ante nativitatem J. C. ab orbe con-dito, temporis spatium, Patris, creationis conservandisque hujus mundi operibus potentiam suam manifestantis, Oeconomiam appellare non du-bitamus, præcipuis dum laberetur isthæc periodus, gestis ad Divinam pro-videntiam causamque creaturis omnibus communem, articulo Symboli, quod ab Apostolis nomen habet, primo descriptam spectantibus, & par-tiore

ciorē sane atque obscuriorē cæterarum S. Trinitatis Personarum mentione consulto utique facta, aliisque rationibus inducti. Quam periodum cum proxime sit consecuta ea, qua Filius Dei, humana indutus carne apparuit, & quoad vitam in hoc orbe adspectabili viveret naturalem, Filium se Dei vivum humanique generis redemptorem docuit, habituque insuper perquam exili salutis reparandæ stupendum negotium perfecit, quis prohibeat, salutare illud temporis intervallum, Filii Dei seu Filii hominis, voce καὶ ἐξοχῆν intelligenda, insignire nomine. Ex quibus denique nulla difficultate ulterius profluit, quod ascensionem Christi Salvatoris nostri, in cœlum excepit tempus, quo Spiritus Sancti, Tertie Divinitatis Personæ clarior magis & luculentior tradita est Virtus & æqualis Patri Filioque Majestas, opera denique ab eo in purgandis à labe cum geniali tum omni morali contagio, diverforum, quæ dispensavit largissime, donorum ope, efficaciter adhibita, ac in Judæis præcipue ad excidium usque Hierosolymorum posita, Sp. S. veluti proprium habendum, terminum verò ejusdem vel in ipso fatali Judaicæ Reipubl. fine, quod malim, vel donorum, quæ miraculosa appellant, cessatione, quæ aliquot posthac Seculis parcius tamen superfuere, esse figendum. Proinde, quod ante Christum natum effluxerit temporis intervallum, Patri, quod initio Novi Testamenti lapsum, Filio, quod verò circa propagati per Apostolos inter omnes gentes, ac Judaicam imprimis studiosissime prædicati Evangelii ævum, post Salvatoris nostri ex hoc orbe discessum, abiit, Spiritui Sancto sigillatim tribuimus, adeoque Judæos olim ante nativitatem Messie adversus Deum Patrem, se tunc manifestantem, postea Christo docente atque inter mortales obambulante contra Filium, deus verò & Spiritui S. ejusque peculiari operationi ac donorum dispensationi pervicaciter resistentes, in Divinum quoque Flamen immorigeros, sed sine spe veniæ postremum deliquisse affirmamus. Atque eo digitum intendisse Redemptorem nostrum, cum de Peccato in Sp. S. vaticinaretur, in animum planè inducerem meum, nisi unicus, qui me male habet scrupulus superstes foret, & quando nimiam sane temporis inæqualitatem, quæ inter V. T. secula plurima Novique annos perpaucos, LXX. puta, huc indubitato pertinentes, intercedit, perpendo, prope persuaderet, ut in locum Oeconomie V. T. quam Patris diximus fuisse, breviorē illam, qua Johannes Baptista Dei Patris mandato, Christoque nondum officio publice fungente, Judæos ad Regni coelestis societatem invitavit, & veterem illam diuturnamque Patris vocationem, compendiosa quadam quasi ἀνακεφαλαιώσας, repetiit, substituam, atque triplicis adeo termini Judæorum per Christum conversioni sive in Christo





reconciliationi statuti à ministerii Johannis initio exordium ducam; Quin-  
imò, quando nusquam diserte criminis sigillatim adversus Patrem designa-  
ti occurrere in verbis Christi memoriam, sollicitius expendo; ad hæc Hi-  
storiam Baptismi, Christo ministerio Johannis collati, Matth. III. consigna-  
tam, in qua omnium quidem Personarum divinitatis manifestationem  
factam, patris autem primas quodammodo partes fuisse refertur, deinde  
Johannis ipsius ad Patrem Joh. I, 33. provocationem, atque filii post suum  
excessum munus, quod ipse per fata deferere necesse habeat, susceperit,  
Sanctique Spiritus novissime mittendi commemorationem, quæ Matth. III,  
11. Judæis quasi in antecessum inculcabatur, & similia permulta apud  
animum meum profundius considero, in posteriorem hæc sententiam  
pedibus, quod ajunt, concedo. Confirmat etiam ita sentientem iterata  
multoties Christi querimonia de contemptu ministerii Johannis Judaico,  
suaque in ejus locum succedente functione pari modo, paribusque convi-  
tiis & ludificationibus excepta, quam in rem Matth. XI, 17. 18. præ cæte-  
ris legi meretur. Omnibus his denique accedit ipsius Salvatoris Optimi  
de gradibus in Judæis ad Regnum Gratiæ invitandis à Deo observatis te-  
stimonium, Johannis V, 35. seq. notatum, & Matth. XXII. parabola in-  
signi, qua Johannis Christi invitationem antegressi, sit explicata mentio,  
declaratum, quo utroque loco etiam illustrius sibi, quam quo Johannis  
officium instructum fuisset, lumen asserit, utrumque adeo, successu tem-  
poris ad Judæos illuminandos destinatum, utrumque verò etiam rejectum  
esse atque repudiatum conqueritur; quæ cuncta ejusdem Salvatoris no-  
stri de contemptu sui Johannisque à Patre missi, querela aliàs quoque per-  
petuo fere juncta ulterius stabilit & firmat. Hanc igitur ob rem ea mihi  
videtur esse Christi Matth. XII. Marc. XI. & Luc. denique XII. querentis  
vel vaticinantis potius sententia: Satis diu, divina æquanimitate tolera-  
tam esse Judaicæ gentis singulari præ reliquis ad obtinenda Christi bene-  
ficia Privilegio pollentis contumaciam, præfractosque ad eludenda sper-  
nendaque Beneficentiæ cœlestis documenta, animos; Prædictum nempe  
dudum Evangelii tempus Patribus exoptatissimum, à Johanne Baptista  
digitis fuisse demonstratum, novoque adhæc initiationis Sacramento &  
seria Judæorum ad illud invitatione firmatum, sed à pessimis mortalium,  
Abrahami filiorum casto nomine incassum superbientibus, eoque prorsus  
indignis, flocci habitum fidemque jam ex eo factum, fore, ut ipsi Filio Dei,  
humana carne apparenti, non minori pertinacia obnitantur, atque adeo  
novum Divinæ Benignitatis Gradum contemtim habeant, quod ipsum ita  
abundanter comprobatum jam dederint, Christi externa offensi specie, ut  
nec



nec mutationis in melius spes ulla superfit. Sicuti verò permagna lenitate, hoc quicquid est, pertinaciæ, Deus adhuc passus sit patiaturve, supplicia dudum promerita longe gravissima in contumaces constituenda etiam nunc differens, unumque restet, ad animos improborum convincendos frangendosve remedium, largior nimirum Sp. S. donorum ac Virium in plebejos homines profusio, ipsiusque Sp. S. hoc modo singulariter manifestandi, efficacior operatio, ut singulæ quasi Personæ Divinæ, peculiari quadam ratione Judæorum gentis conversionem ad Christi Evangelium promovisse dici aperte queant, ita certissime eventurum esse, ut, si & huic extremæ Bonitatis cœlestis dispensationi, qua nulla cogitari excelsior sublimiorve possit, porro repugnent atque morose recalci-trent, tandem sine spe veniam indulgentiamque impetrandi aut recon-valescendi iterum, funditus cum Republ. Temploque ac Politia Judai-ca integra deleantur & extirpentur. Quod, cum desolationes inse-cutæ, ac nunquam, quod Christus non semel prædixit, cessaturæ, judi-cium comprobaverit, vel ex eventu argumentum pro adstruenda hac verborum Christi explicatione uberiori petere licebit, cui facilem omni-no & minime anxiam dubiorum, quibus pervulgata alias sententia pre-mittitur, eximendorum rationem statim addimus, neque etiam de attributis seu requisitis, ut vocant, Peccati in Spir. S. nusquam amplius existentis, nisi Judæos participes se illius reddere hodiernos, imitando scilicet Majores suos, putes, sollicitè acquirere opus habemus. Omitto & exem-pla eorum, qui Peccatum istud admisisse vulgò creduntur, in quibus Francisc. Spieræ dolenda superiori Seculo XVI. fata, circa fata, non-nulli numerant, aliis contra ea de re omnino dubitantibus, aliis à cri-mine isthoc, virum minime blasphemum, liceat voce in Ecclesia recepta minime Latina uti, prorsus absolventibus, cunctis certe, quam sibi non consent, aperte, ut miser forex, se prodentibus. Julianum Cæsarem Apostatam, si prætereamus alia, quæ pro excusando illo congesserunt re-centiores bene multi, ab execratione pervulgata nuper demum libe-rare argumentis, non spernendis, quæ non vacat excubere, ausus est Gothofr. Rabener Amœnit. Philolog. Decadibus multa doctrina refer-tis; Alia præter hæc, nisi quædam risu digniora excipias, ipsi vulgaris sententiæ Patroni prudentiores in medium asferre, adhuc non valere, atque ita ipsimet, (cum declamatoribus verò res nobis non est,) in Phari-sæis Judæisque solis subsistere coacti sunt. Sed & his missis dubium mi-hi grande sæpius subortum est, quoties raram & non nisi semel repeti-tam tanti tamque abstrusi, & ad hominum conscientias turbandas, quod

Ægid.



Ægid. Hunnii adolescentis admodum exemplo inter alia patet, facile trahendi criminis mentionem cogitavi, Apostolorumque in Epistolis suis perpetuum silentium, (quæ enim huc referuntur dicta aliorum spectare commonstrabimus) sum miratus, cum tamen frequentissime de fatali Hieros. & Politicæ Judaicæ destructione & Christus & Apostoli, diversis subinde verbis sint concionati, ac Paulus jam sua quoque ætate de popularibus nihil omittentibus, quod ad complendam peccatorum mensuram faciat in rem nostram notabili dictione questus, iram istis divinam εἰς τὸ ἐλθὲν imminentem, termino scil. per complementum sceleris in Spir. S. commisso, præterlapso, denunciet. I. Theff. II, 16. Multo magis autem, quam superius memorata omnia, ut à vulgari opinione discederemus, effecit occasio verborum de Peccato in Sp. S. pronunciandorum, Christo, non nisi à Judæis & ap. Lucam & ap. Matthæum Marcumque sermonem eundem recitantes, data, ad quos profecto responsum Christi inprimis spectare hinc evidens est, ad solos autem pertinere, cætera confirmant argumenta aliunde petita; Certe non obscure subjecta confestim, Luc. XII, 21. Synagogarum earumque præsidum mentio, veluti officinarum huic sceleris patrando propriarum, quæ sit ejus natura & conditio, quive illius committendi principes, indicat; Futuri temporis insuper verbis ἐπεὶ ἀποθνήσκειται ac quod ad sensum πρὸς φέρωσιν &c. non tunc, uti perhibent nostri, jam admissum fuisse à Pharisæis id sceleris, sed admittendum demum imposterum, & sub id quidem tempus, quo Apostoli in Synagogis atque coram Magistratibus collocandi sint, subinnuentibus. Equidem & ad diversa hoc de Peccato sentientium capita & agmina, ubi pedem figant perpetua diffensione se ignorare prodentia, provocarem, nisi venerandam Patrum Ecclesiæ antiquæ canitiem, cum primis cespitasse, quantum ad hoc, ostendere juberent & mea & aliorum collectanea, quorum navos reverenter tegere, quam carpere satius est. Quare & his omissis, veritatem, quæ unica est, neutiquam juvantibus, in definitione nostratibus communi prope omnibus subsisto, &, quoniam in id pæne consentiant cuncti, veritatem divinam satis superque intrinsecus certe agnitam scelerate ut impugnetur ac conviciis petatur, requiri, audiant quæso, quid de Judæis, quos tamen hoc flagitio contaminatos fuisse asseverant, idque solum habent, quod jactent, speciosius exemplum, neque aliis insuper, sed iisdem, qui Christum ad infamem usque crucem persecuti sunt, Petrus divino recens afflatus Spiritu Actor. III, 17. pronunciet: Novi, inquit, fratres, per ignorantiam, (κατ' ἀγνοίαν) vos illud, Crucifixionem & inficiationem seu negationem Jesu Christi fecisse æque ac Proceres Vestros.

Ecce,

Ecce, non plebejos tantum, sed in univerſum Proceres Judæorum, Phariſæos horumque primores, ait Petrus ignaros & ex ignorantia Chriſtum negaſſe ac neci quoque dediſſe, &, quod caput rei eſt, hujusmodi illorum fuiſſe fateatur inſciam, quæ, ſcopo Apoſtoli id poſtulate, ſive affectatam jam dicas, ſive ſimplicem, qualemcunque tamen excuſationem Judæis pareret; quod utrum cum definitione Peccati in Spir. S. in Compendiis obvia Theologicis, ex Judæorum exemplo, uti pleraque explicate fatentur, bonam partem confecta, congruat, penes ſagaciores eſto judicium; Ego ſane, ut, quod res eſt, dicam, ita me hebetem eſſe confiteor, ut gnaros atque ignaros rei ejuſdem eodem fuiſſe, ita quidem, ut in eadem cauſa & condemnari & excuſari ſimul potuerint ab eodem Sacro Numine, conciliari nequeam. Quodſi verò nec Petri auctoritas ſufficiat, en Salvatorem ipſummet pro adverſariis ſceleris, quod committant, deprecantem, quæ ut concordent cum oppugnatione veritatis ſatis ſuperque cognita, & intrinſecus ſaltim conſenſu ex convictione nato approbata, non capio; cæterum hiſ precibus non crucifigendi actum, quem probe adverſarii norant, ſed ad cauſam atque juſtitiam ejuſdem reſpicere Redemptorem Optimum, omnes noſſe arbitror. Adderem & alium ſcrupulum ex Logicorum recentium de Præjudiciis doctrina perutili deſumptum, atque inter morbos mentis, qui veniam certe conciliant agris, ea numerari monerem, Judæosque ac Phariſæos graviffimo illo vulgatiſſimoque, qui & Apoſtolos olim male habuit, de Regno Meſſiæ ad æternum ſplendorem compoſito, ac æternitate ſano ſenſu Moſaici fœderis clare tradita, Actor. VII. in tranſverſum abreptos fuiſſe, hiſ attexerem, niſi homines turpiſſimos excuſandi gratia potius quam ignorantiam à mera nequitia diſcernendi cauſa me id ſcripſiſſe exiſtimare quis poſſet. Neque adverſari videtur hiſ, quæ de ignorantia modo ſcripſi atque notavi, Nicodemi Joh. III. Scimus, à Deo Te miſſum eſſe Chriſto ajen- tis, Confefſio, quippe, niſi Petro contrarium aſſeveranti aperte contradicere eam putaveris, non de Phariſæis omnibus, ſed paucis quibusdam præter Nicodemum Chriſto amicitioribus atque à cæteris etiam poſthac diſſidentibus, ac ſolo perſecutionum tolerandarum metu fidem clam habentibus ſuam, uti Joh. XII. habetur, intelligenda, neque temere reliquis, præjudiciorum nube plane occæcatis (Joh. IX. ult.) impingenda; quanquam nec apertos Chriſti hoſtes adverſæ fortunæ timore, affectuque vehementiori, (ut erant tunc res Judæorum meticuloſæ & ancipites) correptos, duriora in eum ſtatuiſſe, inſiciandum ſit, uti Joh. XI, 48. conſignata Senatorum conſilia demonſtrant. Metu verò percul-



fos qui delinquant, ab isthoc in Sp. S. crimine omnino abesse, nostrates  
 passim statuere non ignoramus. Quæ cum ita sint, non nequitia solùm  
 mentis, quæ doctrinam Christi, sollicitiorem illius emendationem, sed  
 onerosiorem genio indulgentibus suo, flagitantem, averfabatur, sed so-  
 cordia potissimum turpis in Vaticiniorum Divinorum sensu investigan-  
 do, quem stolidi, quam optime jam se tenere temere crediderant, in  
 causa fuit, cur pia animorum devotione Jesum Messiam haud fateren-  
 tur, sed reprobarent continue, ex quo tamen proprium hoc Judæis fuisse  
 Peccatum in Spir. S. denuo patet. Quibus omnibus in eam veni senten-  
 tiam, ut aliam, atque vulgo tradunt Peccati in Spir. S. definitionem, con-  
 stantem nempe gentis Ebrææ & ad ultimum usque urbis Hierosolym. ex-  
 cidium duraturam, neque singularibus quoque Spiritus Sancti operibus  
 superabilem, Messiaæ seu Christi repudiationem, cui maledicta & convitia  
 utique juncta fuere, iterata vice probem. Verum missis & scrupulis, quæ  
 tritam infestant viam, & definitione ex superioribus nullo negotio for-  
 manda, ad interpretationis nostræ, de verbis Christi supra tradita confir-  
 mationem ex indole potissimum patriæ Christi linguæ derivandam per-  
 gimus. Primum quod mihi visum in ea dubium, generalem esse fateor  
 sive univèrse pronunciatam orationem, vocabulis nempe: Si quis, qui  
 dixerit &c. non ad Phariseos Judæosve certosque temporum limites eam  
 adstringentibus; sed potius laxantibus: At verò cum Salvatorem, ut in  
 antecedentibus Judæos solos alloqui, idemque verbis Matth. XII, 31.  
 proxime præmissis (Dico vobis) innuere clarissime, observarem, Lucæ  
 verò XII, ubi ad Apostolos colloquium luculentissime respicit, adversus  
 Judæorum rabiem, præsignificato isthoc Judaicæ iniquitatis ac pœnæ ter-  
 mino Spiritus S. Oeconomia finiendo, discipulos munivisse perspexis-  
 sem, facile mihi passus sum, Christum tertia Persona, pro secunda usum  
 fuisse, persuaderi, cum oblique seu quod barbære dicunt, indirecte fermo-  
 nem institutum vehementius sæpe commovere auditorum animos stimu-  
 lo scilicet ad inhærendum meditationibus relicto, meminissem, & ad ab-  
 sentes insuper Judæos, sed præsentibus haud nequitia impares, has porro  
 spectare minas ponderassem; in qua sententia frequentior hujusmodi ob-  
 jurationis à Christo adhibitæ, forma me confirmavit. Parabolæ quippe,  
 non unæ, quasi aliud agendo Phariseos ita pungunt, eæ præsertim, quæ  
 Matth. XXII. de filiis duobus diversimode Patri obsecundantibus ac opera-  
 riis in vinea nequissimis leguntur consignatæ, & vel hoc nomine singulari-  
 ter hoc loco notandæ, quod ex asse nostris de Peccato in Spir. S. locis paral-  
 lelæ, ut vocant, iisdem lucem haud exiguam asferre videtur. Nec ignota  
 est

est Joh. Baptistæ correptio, tertia Persona, cum præsentem tangeret, ex parte enunciata, Matth. III, 20. De seipso denique tanquam alio eadem ratione loquentem reperies Christum, Joh. XI, 9. Et Morem Hebræorum in Talmudicis colloquiis pari modo sæpe confabulantium (Pilpulin intelligo) usitatam rationem inter docendum tunc temporis observatam uberius comprobare adderem, nisi Te, VIR EXCELL. vel me haud momento, ejus satis superque meminisse scirem. Quare ad alterum potius, quod me aliquandiu suspensum detinuit, phrasen nimirum, Remittetur, Non remittetur, Non habebit remissionem, à Scriptoribus sacris ex ore Christi mutuatas usurpatasque progredior, quibus scilicet, si quis obiter verba adspexerit, nihil esse videtur cum excisione ac depopulatione gentis urbisque Judæorum commercii. Sed ubi vulgarem, inter Idiotismos Hebrææ Linguæ, quam Græcus N. T. sermo, vel ipsis adversariis subinde id fieri non diffidentibus, imitatur, regulam, qua Verba affirmantia pro contrariis negantibus & rursus, adhiberi traditur, in Interprete Tuo locis Lev. X, 1. & Job. II, 6. confirmatam, animadverti esse applicandam nullo negotio mihi satisfactum est. Atque eo pacto evenit, ut superius in paraphrasi verborum Christi præmissa affirmans verbum Remittetur, per prætermissionem indulgentiam poenæque dilationem, seu quod Latinius efferunt: Inultum adhuc feretis; Negans verò oppositum; Non remittetur per grave supplicium luendum, quod inultum amplius haud ferre Latini dicunt, existimaverimus reddi posse. Quibus ne peregrina huic vocabulo tribui videatur notio, singularia plane exempla ejusdem significatus, bina addimus, quorum alterum secunda Decalogi præceptione neganti, alterum quod Esa. XXII, 14. reperitur, affirmanti vocabulo fert suppetias. Accedit ad hæc comminatio Redemptoris Maximi in seculum quoque Futurum porrecta, quo sane, nisi Pontificiorum purgatorium probaveris, non criminum condonationem seu remissionem, sed poenam locum habere in Republ. Christiana pervulgatum est, ut vel ex hoc uno de poena fontibus irroganda, & ubi Spiritui Sancto, Virtutem suam singulariter declaranti porro contumeliose oblucentur, haud differenda amplius, suppliciisque cum hujus vitæ, tum verò etiam alterius ævi constante, Christum vaticinari plane dispalescat. Forsitan autem consilium omnium probatissimum ipsius etiam Hebræorum Idiomatis genius suppeditabit, quo, nisi me omnia fallunt, phrasin, Neque in hoc neque in futuro Seculo, pro Minime omnium, sive Omnino non, ut Latinorum fert consuetudo, legere memini, cujus significatus exempla, si quæ sunt, mihi per negligentiam, fateor, haud notata, non ignota Tibi esse plane confido.



fido, eademque ut significes, enixe rogo; certe, quod ad alteram, qua Marcus est usus formulam, in æternum, genti Ebrææ admodum familiariter, idem quod Latinorum Neutiquam, Minime & affirmante sensu omnino, Prorsus signare norunt, qui vel primis labris Talmudica scripta degustarunt, quibus & 1. Sam. III, 14. comma nonnullam nostris lucem affundens locis addi poterit; Æternum verò iudicium, quod Marci l. c. commemoratur, non aliud, nisi perpetuæ desolationis Judaicæ supplicium denotare, nemo inficias ibit, nisi qui vocabuli *αἰώνιος* sententiam ex vernacula nostra & usu vulgi hodierno petat, contrarium vel solo Mal. III. 4. demonstrante, quem locum ex Schrödero & Glassius Canone paullo ante laudato, pro illustratione nostri, quod præ manibus est, argumenti docte interpretatur: Unum restat, quod assensum labefactare, aut morari certe possit à D. Marco l. c. adjecta ratio, ea nimirum, quam verbis: Dicebant enim: Spiritu eum agi immundo, subjungit, unde colligi posse videtur, Phariseos Judæosve reliquos in eorum partes concedentes, jam tunc temporis, cum isthæc proloqueretur Christus, eo scelere pollutos fuisse, non autem demum, quando Spir. S. largius effusa vis denuo novissimeque eos invitaret polluendos. At verò, neque ad hoc *ἐγγύχια* deest Responsio: Marcus quippe, cuius ea sunt verba, non Christi, causam essati Salvatoris nostri redditurus, ista adversus Spiritus S. virtutem in Christo operibus conspicuam convitia non eo repetit, ut illis ipsis in præsentia, id, quod Christus memoravit, Peccatum in Spir. S. perpetratum fuisse significet, sed ut doceat potius, qua occasione Christus, quid adversus Spiritum S. singulariter imposterum etiam manifestandum, machinaturi sint ac suscepturi hominum, qui viverent pervicacissimi, quasve tandem poenas ejus pertinaciæ sint daturi, vaticinetur, ex primitiis scilicet suæ ætatis, quam infaulta messis sit in posterum tempus expectanda, præsentiens atque præmonstrans; Sicut & de imminente tempore Christum fermocinari cum Judæis, vocabula Futuri temporis condecefaciunt, ut superius observatum est, quibus nihil addimus nunc amplius, nisi Pharaonis exemplum, pertinacissime, nec sine contumelia in Deum renitentis, quamvis ad Inficiationem cognitæ veritatis Divinæ nequissimam referri posset, de quo etiamnum litigant, huc, ubi de futuro sermo est, prorsus non speciare, causamque desperatam Vulgaris sententiæ similiter prodere. Atque hæc quidem visa sunt, quæ robur qualescunque opinioni nostræ, de Peccato in Spiritum S. Judæis ab ascensione Christi ad excidium usque Hierosolymit. viventibus, inque veritatis Evangelicæ impugnatione perseverantibus, sed divinas tandem elapso indul-

gen-

gentiæ termino pœnas pendentibus proprio, conciliare queant; qua ratione etiam sola, insultus in animos Dæmones mali, afflictis haud raro, id criminis se commississe, ut persuadeantur, suggerentis, quando trita definitionis Peccati in Spiritum S., literarum præsertim rudes difficultates concoquere nequeant, depelli felicius posse, plane sum persuasus. Fortassis & eruditiores habebunt, quod exinde ad quæstionem non omnino contemnendam: Utrum & pro isthoc in Spir. S. scelere piaculari hostia satisfecerit sua Christus? respondeant. Etenim quando, qui vulgari inhærent sententiæ, vel expiassent Christum, quod elmi non possit, irremissibile scilicet per naturam suam, flagitium necesse habent affirmare, vel in castra compelluntur abire Reformatorum non defœcatorum, valorem quidem & virtutem pro omnibus peccatis hominum omnium, neutquam verò intentionem pro iis satisfaciendi tribuentium Christi merito. Quorum neutrum, nisi intendisse Christum expiare, quod expiari haud possit dixeris, tueri equidem velim; hac ex hypothese contra non difficilis erit dubii evolvendi ratio, ubi nimirum vel sola collatæ & acquisitæ gratiæ pertinax reprobatio seu acceptationis negatio rem omnem, sicuti penes alia crimina conficiet. His itaque recte, ut autumo, se habentibus & stabili fundamento innixis, non est, quod à reliquorum, quæ ab adversa parte in auxilium vocantur, locorum Scripturæ pondere metuum, quandoquidem vel leviter ea intuenti altum de Peccato in Spiritum Sanctum, silentium, sed proh! quam altæ res indaginis & jure memoranda, atque à cæteris sceleribus discernenda! dubiam reddere interpretationem ex compendiis Theologorum haustam poterat. Et sane longe diversam Optimo Johanni 1. Joh. V. de Peccato, pro quo orandum non sit, nonnulla scribenti, fuisse mentem præstantissimi jam dudum ex nostris quoque, Interpretes, B. Seb. Schmidio potissimum Duce agnoscent, modumque pro peccatoribus vel mera nequitia, vel imbecillitate virium delinquentibus orandi diversum ibidem præscribi fatentur, atque jubere docent Apostolum, ut pro his, qui peccata, quæ vocant, mortifera admiserunt, non nude veniam ac condonationem impetrare à Deo nitamur, sed sive ea conditione, si resipiscant, sive primario, si resipiscant, suppliciter deprecemur, pro solis autem cespitantibus, aut leviori de causa labentibus simplici deprecatione fungamur, quæ fusius à Theologis de Peccatis, ut vocant, saniori quam Pontificiorum mos est, sensu, Venialibus doctrinam explicantibus tradi novimus. Neque contemnenda est, quæ sententiam istam tuetur ac roborat, post alias plures ratio, ab ipsius Peccati in Sp. S., uti vulgo describitur, natura accepta, quippe quam im-



poenitentiam ad vitam usque finem perdurantem, aliaque humanae mentis  
 aciei minime obvia, qualia in Pharisaïs Christum Καρδιογνωσθην ajunt per-  
 spexisse, complecti perhibent, contra vero Johanne, id, de quo instituit  
 agere, crimen, tanquam nemini obscurum & luci mentis omnibus com-  
 muni expositum delineante. Equidem difficultatem illam tolli posse  
 memini aliquando existimare, si ad Donum inter cetera inprimis mira-  
 bile, quo primae aetatis Ecclesia pollebat, quoque Spiritus confestim tum  
 probari potuisset seu discerni Apostolus I. Cor. XII. affirmat, confuge-  
 rem; sed desii mox isti confidere effugio, posteaquam Virtutem memo-  
 ratam ad dignoscendos tantum falsos verosque Prophetas seu Doctores  
 divinitus illustratos à ceteris falsos afflatus minimeque divinos jactanti-  
 bus pertinuisse, omniscios enim alioqui Christianos reddidisset, didici  
 atque ambiguos praeter haec plerosque esse Apostolis ne solis, an aliis quo-  
 que sublimis illa dos sit credita, observavi, quam tamen litem meam fa-  
 cere nolim. Proinde missum hunc facio locum, & ad Epist. quae Hebraïs  
 inscribitur pergo, cujus Cap. X, 26. in has vocari partes non ignoramus,  
 cum tamen neque in antecedenti sermone continuo, neque subsequenti  
 hujusmodi Peccati in Spir. S. injecta sit aperta mentio. Quod enim de  
 contumelia Spir. Sacri v. 29. habetur, id proprie & de viva convitiatorum  
 voce, ut intelligamus necesse non est, nisi & conculcationem filii pari mo-  
 do proprie, sed ineptissime quis interpretetur; cum tamen non nisi contem-  
 tum unicum atque consummatissimum Sacrificii à Christo in cruce oblatis,  
 quod bestiis in V. T. olim immolatis aequiparetur, innui constet, atque  
 hinc contumeliam quoque realem per ἀποστασίαν Spiritui Sancto poeni-  
 tentia fideque salutari meritum istud applicanti, illatam, cujus mox ab  
 hominibus sceleratis reapse demonstratur vilipendium, indicari appa-  
 reat; in qua sententia & vocabulum ἐρυβρίσειν injuriam quamcunque pe-  
 tulanter & proterve factam, contumeliam vulgo appellatam, designans,  
 quae ipsa sapius re & actione contumeliosa infertur, me confirmat. Ut  
 omittam honoris Christi violationem huic, quae I. c. commemoratur  
 contumeliae, luculenter jungi, quam alibi ipsum Dei Filium à Peccato  
 in Spir. S. solite distinxisse constat. Super haec aperte ad legem Mosis  
 Apostolus cum Ebraïs collocutus, lectores à defectione abstrahendos  
 revocat, hoc potissimum argumento usus, non esse novum ac sapius ite-  
 randum aliud Sacrificium, more foederis Mosaici, piaculare expectan-  
 dum, qua de re ab initio Capitis X. instituit agere, sed qui à Christo Jesu  
 desciscant, ejusve unicam repudient hostiam universo orbi salutarem,  
 aeternum esse perituros. Proinde eorum, qui poenitudine factorum ad  
 frugem



frugem redeunt, ab omni spe veniæ sceleris commissi iterum impetrandæ neminem arceat Apostolus, sed sacrificium aliud, hostiamque adhuc aliam, quemadmodum una neglecta plures inter Judæos repetere olim fas erat, reliquam esse, *ἀπολείπεισθαι*, inficiatur, & quæ pestilentissima fuerat, atque inveterata inter Judæos corruptela, novo sacrificio redintegrari haud difficulter omnia posse pernegat. Tantum igitur abest, ut à reditu ad Christum defectores ac sceleratos quosvis Paullus prohibeat, ut ad idem potius sacrificium Christi unicum & omnibus numeris absolutum, poenitentia non fucata interveniente, ultro delinquentes quosque invitet, ab animi verò levitate in veritate Evangelica sive neganda sive sceleribus quibuscunque polluenda, atque securitate quam vocant carnali omnimoda ac impunitatis denique ad tempus indultæ, ad licentiam abusu periculoso admodum, graviter omnes dehortetur. Quando itaque & huic satisfactum est dubio, unicus nunc superest nodus novissime dissolvendus, idemque implicatissimus, quem ex ejusdem Epist. ad Ebr. c. VI, 4. seq. alii neclunt, alii verò à Novatianis olim nexum, hoc veluti gladio, de Peccato in Spir. S. Paulo ibidem sermonem esse, se solvere aut discindere posse arbitrantur. Et est profecto, cur *τὸ ἀδύνατον* illud Apostoli tutius summam difficultatem parere credam, quam per difficile reddi aut exponi patiar, proprietati verborum vi manifestò illata. Difficultatem tamen minime insuperabilem esse ad oculum ostendam, interpretatione nostra ex uno *βαπτισμῶν* vocabulo, quod inter fidei rudimenta numero plurium extat, deducta, quo etiam dicti Apostolici obscurioris nexus, particula *γὰρ* retrorsum spectante, subindicatus nos manuducit. Scilicet, ut ab ovo, quod ajunt, rem ordiar, cum Judæis de rebus Judaicis ad Christianam doctrinam applicandis & heic loci disputare Apostolum constat, sed iis, qui, ut extremo capite V. questus erat, scopum legis, cum legem ipsam nossent, genuinum ignorarent penitus, atque crassis de ceremoniis foederis Mosaiici, opinionibus, quæ ad cultum mere externum redibant, imbuti erant; unde brevem religionis Judaicæ repetitionem, quæ non Mosaicum tantum, sed & Evangelicum pactum pro modulo revelationis olim concessæ complectebatur, instituendi ansam suppeditatam puto. Hinc verò ad monita nonnulla paucis hac occasione contra vulgaria præjudicia inculcanda Paullum progredi, & excursu sermonis seu digressionem verbosioris, ex more, ad Ephel. II. ac III. cap. præsertim conspicuo, tum ad excitandos securos, tum ad erigendos consolatione infirmos c. VI. longius abire, ad institutum autem sub Melchisedeco latitans mysterium exponendi capite demum VII. reverti existimo. Quibus præmissis principia verbi de  
Chri-

Christo, non, ut Lutherus & alii p̄ane omnes transtulere, fundamenta cultus Christiani ad N. T. decreta instituti, sed rudimenta pariter ac umbras seu elementa, ut Paulus ad Galat. IV. vocat, quibus in V. T. fidelibus Christus adumbratus est, signare dicendum, eā verò, quæ enumerantur, principiorum ante dictorum partes ita reddendæ, ut per pœnitentiam ab operibus mortuis conversio ab extantioribus ac mortiferis criminibus, quam nec hypocritæ inter Judæos negabant esse necessariam; per fidem in Deum, generalis fiducia tunc sufficiens in Divina misericordia per Messiam, nondum ita distincte olim revelatum impetranda, collocata; per doctrinam baptismorum, lotiones ab Ebræis frequentatæ, quibus à pollutionibus externis mundabunt sese, (ita enim & infra c. IX, 10. hac notione utitur, diversorumque baptismorum meminit) per impositionem manuum, ea, quæ sacrificiorum comitabatur solemnia, manuum innixio vehementior; per reliqua denique communia cum nostris dogmata de resurrectione mortuorum & Judicio extremo seu aeterno supplicio, quod Gehinnam Judæis audit, intelligantur; cujus rei indicium præbet inter cætera non spernendum luculenta impositionis manuum & lotionum, in plurali, unum baptismum Paulo ad Ephes. IV. celebrante, inter rudimenta fidei sive religionis commemoratio, quæ ut ad Christiana sacra referri possint vel præcipua, nedum principalia, non percipio, cum Judaicis verò apprime convenire probe scio. His expositis atque brevi quasi tabella præfixis, fusiori explicatione singulorum omiſsa & in aliam occasionem rejecta, quo de vers. 3. quiddam monuit, anſa à lotionibus & purgationibus externis data breviter saltim Christianæ conversionis ac Judaicæ in Ecclesiasticos cœtus receptionis per abluendi actus innumeros, differentiam tradit, atque impossibile esse, quemadmodum è diverso temere persuasi erant ex Judæis negligentiores, ut eo modo, quo in Judaismo ritu externo inque usus externos Ecclesiasticos fieri consueverat, scelera admissa, & in his præsertim *ἀποσυσία*, facillime nulloque negotio eluantur, etiam multoties repetita, quin divinæ potius maledictioni desciscentes à Christo hujusmodi subijci, atque ad meliorem frugem difficulter admodum, (quippe in pejus ruentibus justo Dei judicio omnibus 2. Petr. II, 20.) reverti posse, eo quod summa animi anxietas & dolores exquisitissimi antegrediantur novæ creaturæ novique hominis generationem seu conversionem iterandam, succedentem præsertim in locum tantorum, quæ nominatim idcirco recensentur, admissorum temere criminum mentisque per ea corruptelæ profundissimæ vicem. In Summa: Non esse eandem, uti quidam Patria superstitione falso existiment, scelerum patratorem,

cum-

cumprimis Apostasiæ à fide Christiana, sicuti perpurgandorum per commaculationes externas pollutorum corporum valorumque, rationem & emundationem, illamque, quam perperam credant, animi à sceleribus adversus Deum commissis, quodocunque quis velit, ab inquinamentis purgationem impossibilem, inquit Apostolus; eumque in finem vocabulum *ἀνανήψισιν* Forma, quam vocant, Activa, ut pro arbitrio tantum negotium conficere quemvis posse neget, usurpat. Ut adeo non plane (absolute) sed certa quadam ratione (sec. quid) fieri haud posse renovationem, & ad frugem meliorem regressum doceat, benedictione de reliquo cœlesti perfici eum posse versu 7. non obscuris verbis ipsemet affirmet, quod & experimenta innumerabilia multoties confirmarunt. Salva igitur & hæc Paullinæ mentis est sententia, neque quidquam in ea deprehensum, ut arbitror, de Peccato in Spir. S. vestigiū; nisi & Nasonem de eodem cecinisse, verbis:

*Ab nimium faciles, qui tristia crimina cædis  
Fluminea tolli posse putatis aqua!*

perabsurde quis autemet, à quo longius abesse, quibus sana mens est, nihil est, quod dubitem. Si quæ sunt præter hæc alia pro vulgari definitione Peccati in Spir. S. à nonnullis in medium allata, hujusmodi profecto erunt, quorum plerosque Theologorum rationum pondere non numero pugnantium puduit, prudenti silentio, quam parum illis confiderent, indicantium. Cæterum, utrum aliis etiam id, quod pluribus jam demonstravi, suboluerit, nec ne, haud curavi, neque etiamnum curo. Illud tamen prætermittere non possum, quin Episcopium, Virum totius eruditorum ordinis consensione perspicacissimum, cui aliquid hujus rei in mentem venisse deprehendi, nimis arctis hoc scelus inclusisse circulis, moneam. Quippe hariolando quasi, rationum enim pondera nulla omnino adjecit, in aperta & contumeliosa miraculosæ istius visibilitium Spir. S. donorum, quæ in Pentecoste facta annue celebratur, rejectione id constituisse, subtimidiuscule quodammodo affirmans, eamque mox sententiam iterum deserens, solemniorem istius divini afflatus largitionem, cum larga diuque ac Mannæ instar per annos 40. continuata ejusdem dispensatione, & initia prima, cum integra œconomia ad excidium usque duratura, commiscuit; tantum abest, ut reliquis, quæ supra attigimus, dubiis satisfecerit, quæ ne quidem sibi vel ipsimet movit, nec prævisa dissolvere conatus est. Quod verò nonnemo Theologorum, uti inter spicilegia meditationum meorum, observavi, ad hanc rudem & impolitam Episcopii conjecturam regressit,



gessit, jam ante Pentecostis festum, id Phariseos commisisse flagitium, atque hinc eo demum neutiquam esse rejiciendum, is, ut autumo, scrupulus loco jam ante motus, eque via remotus esse videtur, quando constitutæ superius differentia inter prælusiones ac præcursiones, Christo has terras obeunte, atque hinc, quæ imposterum secutura essent, divinate, perpetratas, ipsumque hujus sceleris plenum ac effrenata audacia continuatum exercitium à Judæis adversus Spir. S. suam solius majestatem (cum de Christi antea dignitate ageretur) manifestantem, tantum solite habeatur ratio. Qua in appendicula, cum novissime demum inter legendum oblata sit, postremo etiam loco & quasi postliminio annexa subsistendum nunc esset, & finis epistolæ faciendus, nisi è longinquo confabulandi tecum, **VIR EXCELLENTISSIME!** inque tuum effundendi finum alium etiam, qui de Descensu Christi ad Inferos restat scrupulus, eupido me teneret incredibilis, & pius quidam compelleret stimulus. Quanquam enim parum abest, quin pervulgatum illud: qui semel depudit, gnaviter eum esse impudentem, meo recens me comprobare exemplo, fateare, tamen Tuam mihi hac quoque in parte Humanitatem mirificam polliceri veniam, atque isthac cura me dudum liberatum esse, summa fidei & studii erga me Tui testificatione, facile persuadeor. Exponam itaque, si pace Tua licebit, quæ de isthoc, ut vulgo descriptus legitur, Descensu, altius indaganti venerunt in mentem; ita tamen, ut breviter & summatim eorum quasi conspectum exhibeam, quæ, si occasio ferat, fusius aliàs explicare animus est. Illud igitur primum est, quod inter difficultates plurimas, in dubitationem me adduxit; Paucos fuisse, immò è genuinis (quæ enim ex Thaddæi cujusdam ad Abgarum schedis Syriacis Eusebius repetit, dubiæ fidei sunt) primæ ætatis ac Seculorum trium integerrimorum prope nullos, qui ejus articuli meminerint, cum præsertim in summa Christianæ doctrinæ seu fidei, Apostolico, quod vocamus, Symbolo, contentæ, occupati fuerunt recensenda; quemadmodum id passim, qui de Symbolis antiquis scripsere, ex Ignatii Epist. ad Magnesianos, Justinii Dialogo cum Tryphone seu Tarpone in fine, Irenæo adversus hæreses L. 1. c. 2. Tertull. de Præsc. c. 4. Origenis Procem. LL. *περί ἀρχῶν* &c. commonstrarunt, quibus & Hilar. ad Constantium L., Basilium Serm. de verâ ac pia fide, Epiphanium Serm. de fide, ac fortassis & alios ex IV. Seculo jungere liceret, quorum omnium recitatione Symboli, diversis verbis concepti, nihil profus de hoc doctrinæ capite continetur. Ei porro difficultati Ruffini Aquilejensis, Orientalium Ecclesiarum Symbolis in universum nullis lectum hunc fuisse articulum, & fortassis sepul-  
tura

tura Christi comprehendi, testantis auctoritas ingens momentum addit. Quod ipsum insuper Priscæ Ecclesiæ Præsidium confirmat discordia, quæ non obicure ex verbis, quibus alioquin hac de re forte usi sunt, satis obscuris, hinc colligitur, quod nonnulli ipsam per descensum memoratum Christi sepulturam, alii verò, nescio quam Patriarcharum & Prophetarum, ipsiusque Protoplasti, cujus Origenes mentionem fecit, ex orco aut inferis liberationem in rem Pontificiorum, intelligunt; revera autem non habuisse se, ubi firmiter consisterent, prodentes; uti ex omnibus manifestum est locis, quæ dudum congesserunt Theologi, ac perbrevis inter cæteros compendio exhibuit B. Joh. Meisnerus L. de Desc. Christi ad Inf. Anno 1663. ed., quo tamen & ipse de reliquo majorum vestigiis insisit. Omitto de eodem doctrinæ capite Nicæni Symboli silentium, & in Athanasiano, ut vulgo appellat, occurrentem ejus, quantum ad verba, sepultura Christi contra penitus prætermissa, mentionem; unde partim istam, descendere ad inferos, phrasin, ipsam olim Græcis, dummodo Græce conscripta primo omnium sit ea confessio, sepulturam, & quæ cum ea coherens, designasse, partim etiam recentiori hoc Symbolum ætate natum inter cætera argumenta, de quibus Dissertat. singulari Cl. Tentzelius, patescit, quippe quod circa illud ævum videtur confectum, quo Ecclesia Occid. seu Latina, (cui & alias accessiones Symboli à baptizandis recitari soliti ferimus acceptas) ex vocabulo inferorum in Ecclesia in notionem novam sive arctiorem translato, quod & aliis Latinitatis Ecclesiasticæ exemplis probant Critici, isthanc particulam cæteris, nescio quo sensu, adjecit. Nam, quod alterum est, in his, quæ dubiam de vulgari sententia mentem traxerunt, antiquiores & qui macula adhuc ac probata omnibus cum Græcitate tum Latinitate usi sunt, utramque vocem *Αδης* atque Inferni, ea notione usurparunt, quam mediam appellare consuevimus sive neque adversam neque prosperam defunctorum post fata sortem definientem & utramque potius complexam. Quam in rem non ignoti Tibi erunt Theognidis versus; quibus *εὐδαίμων καὶ ἄλκιος*, qui *εἰς ἄδης δῶμα μέλαν κατέβη*, prædicatur, itemque Platonis in Phædone verba, quibus, qui non expiati neque initiati ad inferos (*εἰς ἄδης*) migrent, in cœno jacere, quicumque verò purgati atque initiati illuc (*ἐκείσε*) accesserint, cum diis habitare, affirmat, & Diphili denique Comici ap. Clem. Alex. Strom. L. 5. qui disertè duplicem (*καθ' ἄδην τρίβος*) in inferis locum, *μίαν δικαίων ἑτέραν δ' ἀσεβῶν ἔνομαι*, alterum justis alterum impiis destinatum docet, ut alios omittam. Prætereo innumerabilium quoque exemplorum catervam, qua profani phrasen *εἰς ἄδην σείχειν*, *βαίνειν*, *ἔρχεσθαι* &c. non nisi

pro eo, quod Latini mortem obire vel vita fungi dicunt, usurpare trahitum est. Unum illud commemorare lubet, quod ap. Diog. Laërt. in Anaxagoræ vita habetur, quem refert, cuidam moleste ferenti, quod in alieno solo moreretur, respondisse: Bono esto animo, idem utrinque εἰς ἄδης (intell. οἴκον) κατάβασις, in inferos descensus est: Egregia profecto à Viro sapiente consolatio, si non defunctorum statum communem, sed cruciatus infernales, inferorum vocabulo, quo & Cicero in Tuscul. quæst. verba repetens, usus est, designavit. Cæterum inferorum vocem Latinam eadem notione communi, virili ac juvenili ætate tritam fuisse, in vulgus notum est, ac passim dictionum & vocabulorum Commentatoribus notatum. Proinde nihil his ultra immoror, sed nutum potius Non neminis, qui, à Grotio ad Luc. XVI. caput, hujusmodi profanorum exempla & loca largiter cumulante, è Scripturis proferenda esse testimonia jubet, sequor, & in Literis sacris nusquam aliter, quam notione utriusque defunctorum generi communi, seu de statu ac conditione mortuorum, postquam diem obire suum, universe adhiberi, eumque in finem mortem ἄδην in Apocalypsi veluti pedisequum proximè sequi, asseveranter adfirmo; dummodo, quod hujus loci non esse probe scio, de propria & nativa sententia vocabuli, sive Græci ἄδης, sive Hebraei Scheol, sermo sit; etenim per translationem verecundam ad extremam quoque fortem aut infimam etiam partem quamcunque signandam interdum applicari, equidem nolim ire inficias. Neque hinc quicquam mirandum mihi accidit magis, quam Viros ornamentorum ac meritorum amplitudine insignes tanta fiducia unius Luc. XVI, 23. specie qualicunque in contrariam partem niti; cum utriusque & Lazari (cujus nomen veram historiam esse minime evincit, ex Eliezer quippe in Lazar dialecto Hierosolymitana, ubi sæpius occurrit, decurtatum, & rem ipsam, auxilium divinum more Hebræorum ex solis etiam Messia nominibus multis noto, denotans) ac Epulonis excessui ὁ ἄδης nulla interveniente discriminis nota subjiciatur, & ex conspectu mutuo ac colloquio inter Abrahamum, atque Heluonem utrumque ἐν ἄδῃ fuisse, statu tamen singulorum diverso, (neque enim & Abrahæ finis locum proprie notat, sed primum ad delicias candidatorum beatitudinis quasi jus seu accubitum,) manifestò appareat, misera & afflictissima alterius forte vocibus, ὑπάρχων ἐν βασάνοις, demum exprimenda, & ab alterius conditione, qua usus sit, optabiliori distinguenda; qua sane, si ἄδης vocabulum cruciatuum æternorum locum jam ante signasset, limitatione, absque τριτολογίας vitio, opus non fuisset. Quod cum probe animadvertisset Johannes olim Chrysostomus vocula Græcæ sibi vernacula

culæ non, ut puto, ignarus, homilia de divite, utrumque eorum & Lazarum & Epulonem apud inferos collocat, habetque inter Latinos Hieronymum Epist. 25. ac antiquiorem Tertullianum de Idolol. c. 13. consentientes; nec verò Germanos nostros, vocabulo *Ἅδης*, instar præjudicii, inde à prima adolescentia deceptos esse miror, quandoquidem usus ejus vulgaris, aliam quam terribilem notionem ferre vix solet, quamquam locis bene multis Germaniæ versionis nostræ invitis, & vel solo Apoc. XX, 14. commate reclamante, ubi *ὁ θάνατος καὶ ἅδης εἰς τὴν λίμνην τῆς πυρός*, projectum iri legitur, *ἅδης* manifesto & evidenter ab orco distincto. In Apocryphis V. T. præ cæteris memorabilis est Syrac. c. XLIII, 5. locus, quo inter alia Eliæ miracula, mortui quoque resuscitatio celebratur, atque *ἐξ ἅδης* seu mortis conditione & statu, ubi & reliquorum à Christo resuscitatorum animæ postmodum fuere, in vitam reduxisse puerum perhibetur, quem tamen monumento nondum fuisse illatum I. Reg. XVIII, 21. 22. memoria proditum est, ut reliqua, quibus his quoque Libris, nedum Patrum Ecclesiæ priscorum Scriptis, non nisi mors, ea dictione describitur, loca, in præsentem faciam missa ab instituto alieniora. Plus momenti positum existimo esse in Hebræorum Scheol, unde & de ejus significato potius disquirendum superest. Hic autem, ut paucis, quæ sentio, aperiam, ex omnibus locis omnium liquidissimè patere arbitror, quando proprie vocabulum *Ἅδης*, ut ajunt, strictius nonnihil sumitur, denotare Scheol locum illum vel potius statum, qui hominem excipit post mortem, locumque hæcenus communem tam piis quam impiis. Illuc enim se descensurum esse, dicebat Patriarcha Jacob Genes. XXXVII. *Ἅδης* XLII. Ibi Job esse cupit cap. XIV, 13. Ibi domum suam fore prædicit sibi idem cap. XVII, 13. David quoque sine discrimine tam de piis, quam impiis dicit, quod in infernum perveniant. Psalm LXXXIX, 49. Nec minus Hiskias, Regum ille pientissimus, morti vicinus lamentabatur: In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferni, Esa. XXXVIII. *Ἅδης*. Quod verbis eruditissimi Viri Joh. Eberh. Busmanni Helmst. Profess. Disputat. de Scheol Hebr. Anno 1682. ed. compendiosius quam meis enunciare malui. Quem ut hac in parte consentientem mecum non sine voluptate legi, ita & reliqua, quæ omifimus loca, solide ab eo vindicata cognovi, & quod oppido me delectavit, cum è profanis, Homero Iliad. 16. v. 856. & 7. v. 131. Platone in Cratylo, Luciano in Menippo, Jamblichio in Protreptico c. 13. Joseph. Antiquit. L. 18. c. 5. Latinis item Cicer. Tertull. Lactant. &c. ipsius denique Scripturæ loco omnium clarissimo Genes. XXXVII, 35., ubi ad Josephum in Scheol se migraturum Jacobus ait, quem tamen non sepulchro con-



ditum, sed à fera devoratum credebat, magna denique Sanctorum Patrum nube, animarum inprimis in Scheol seu *אֲדָמָה* aut apud inferos statum fortemque, ipsis peculiarem, hac voce intelligendam esse accurate vidi demonstrari. Quibus & B. Lutheri nostri egregiam admodum sed justo longiorem ad Genes. XLII, 38. in Comment. illustri annotationem; ubi inter alia permulta *Scheol commune quoddam receptaculum, non corporum tantum, sed & animarum, ubi omnes mortui congregantur*, appellat, adderem, nisi Tua, VIR CELEBERRIME! patientia abuti, aut non tam confulere, quam docere velle Te videri possem, scilicet Sus Minervam. Intelliges autem ex his, quod tertio loco, VIR SUMME! noto, Scheol ac *אֲדָמָה*, utraque lingua, præter corporis post excessum conditionem, quæ frequentius tamen voce Kebher describi solet, rectius & usui scriptorum cum sacrorum, tum etiam profanorum congruentius, animarum ab admirando cum corpore commercio divulsarum post hanc vitam, mihi visum esse sortem innuere. Idque *ψυχοδοχείον* seu receptaculum aut statum potius mentium, ne quid extensionis rerum cogitantium ideæ immisceam, nomine Scheol à petendo apud Hebræos antiquitus insignitum esse crediderim, quod, cum in ancipiti lucta hac in mortalium vitæ versatæ sint, post illam exantlatam iudicio particulari defunctæ, in desiderio, ac piorum quidem æternæ plenæque beatitudinis, teste Apocal. VI, 9. 10., impiorum verò liberationis ab imminentibus suppliciis multo gravioribus hærent, & quidem, quod Græcæ vocis quasi *αἰδής* etymon est, invisibiles, donec ad perennis vitæ ac felicitatis, sive infelicitatis nunquam desitura sedes translocentur; quod extremo demum hujus orbis die futurum esse, loca 2. Cor. V, 10. Coloss. III, 4. 1. Tim. IV, 8. Hebr. XI, 40. coll. 13. & 16. 1. Joh. III, 3. 1. Petr. V, 4. Item Matth. XXV. ult. 2. Petr. II, 4. &c. commonstrant. De cætero medius ille animorum status, citra purgatorii flammæ, aut alias nugas, in quo revera beatis sua quadam ratione & modulo, Christo eos subinde invisente bene est, damnatis verò malè, ita fere comparatus esse videtur, uti hac in vita eorum rationes, qui ad regnum capeffendum electi, sed nondum coronati sunt; vel ex adversa parte aliorum, qui propter enormia flagitia damnati; supplicioque jam denunciato, etsi solenniter hæc dum promulgato in carcere adhuc detinentur, nondum autem extremas & designatas pœnas luunt; Unde etiam istorum conditioni Paradisi ac sinus Abrahæ nomina; horum verò Carceris ac Catenarum Caliginis, & similes appellationes Luc. XVI. ac XXIII. itemque 1. Petr. III. ac 2. Petr. II. tribuuntur, quæ multo sane exiliora sunt, quam ut apta & sufficientia tam illustri ac consummata, vel quantum ad



ad animas solum, gloriae, sive è diverso immensae miseriae & ærumnae ignis æterni, quo alias nomine vocatur, esse aut censerì possint. Idque vel ex ea re mihi probatur etiam potius, quod in re obscura conjecturam non spernendam mihi concedere dudum placuit locum, qua credibile visum fore, ut quemadmodum igne, per quem & in quem terra ac cœlum dissolventur, crassioribus scilicet & impurioribus ejus partibus damnatos involutum iri, & hinc locum supplicii, quem infernum appellant, exiturum, verosimile est, ita è subtiliore & puriore portione gloriosum beatorum domicilium condatur, quod secundum analogiam cœlum appellamus, descriptione utriusque mutationis 2. Petr. III. non obscure hoc, quiddid est, fulciete. Quibus præmissis faciam nunc demum, ut agnoscas, VIR SUMME! quæ mihi de descensu Christi Servatoris mei, ad inferos arrideat sententia, ea nimirum, qua mortis Christi veritas, secundum ambas humanæ naturæ partes revera diremtas, altera in sepulcro condita, altera in communi mentium separatarum statu seu ψυχόδοξείῳ, quod Paradisi nomine pie decedentibus jure optimo commendatur, firmiter stabilitur, ita quidem, ut in Symbolo etiam Apostolico quod objici forsitan poterat, redundans nil quicquam aut superfluum esse credamus, quem nodum, uti solvant, qui de sepultura istum descensum volunt intellectum, dispicere necesse habebunt. Atque eo tendere existimo, brevem sed abditis sensibus notam, quam Luc. XXIII. consignatis Salvatoris nostri verbis, post alia de Paradiso ex Judæorum monumentis observata huc non pertinentia, obiter quasi adjecit solertissimus Lightfootus: Ego, inquit, *explicationem istius articuli in Symbolo nostro, Κατῆλθεν εἰς ᾄδς, non aliunde petierim, quam ab hoc ipso dicto: (hodie tecum eris in Paradiso) addito, quod recurrendum etiam est ad Linguam Græcam pro significatione vocis ᾄδς, quæ statum post mortem denotat beatorum æque ac miserorum. Illi qui verba ista 1. Petr. III. intelligi volunt de descensu ejus jam à cruce ad prædicandum in inferno, parum observant scopum Apostoli isto in loco, & toto cœlo aberrant ab ejus animo.* Hactenus nec plura Lightfootus, qui, quod antea monui, subinnuere videtur voluisse, tamen pluribus mentem haud aperuerit: In eadem verò opinione me ulterius confirmat constans Symboli nostri, ab Apostolica doctrinæ compendio Apostolici dicti, (nam ab Apostolis ita consignatum fuisse cum alia, tum maxime diversæ ejusdem à Viris ævo Apostolorum proximis recitationes & formæ comprobant, una alioqui sancte servanda,) Articulorum & rerum gestarum Ordo ad hæc usque tempora servatus, in quibus tamen noster, si post resurrectionem triumphali in Orco Christi presentia, & resuscitati ani-

maque



mæque iterum uniti corporis viva demonstratione peractus fuisset, translocandus, & resuscitationi sive vivificationi, quæ ex usu Scripturæ prorsus eadem sunt, postponendus foret. Præpositus itaque de alia Majorum nostrorum, quam hodie docetur, mente non obscure testatur, ejusmodi videlicet, quæ cum sepultura corporis probe consistere, & absque *ταυτολογίας* nævo, in tam brevi Symbolo minime, ut puto, admit- tendo, de humili adhuc animæ post mortem Christi conditione exponi possit. Huc autem non inanis me adduxit curiositas, absit hoc à Sacris religiosius tractandis vitium! Sed sacra quædam in explicando pro muneris ratione in Psal. XVI. ult. meditatio non ita pridem suscepta; Illud enim comma, cum ex Petri allegatione à Judæorum & Christianorum quorundam calumniis vindicandum esset, animum advertens ipsius Psal- mi verbis aliquid addidisse præter consuetudinem Apostolum Actor. II, 31. idque haud dubie perspicuitatis & explicationis causa, deprehendi. Etenim, cum in Hebræo fonte non nisi Sancti (Sanctorum enim in Plurali secundum literas genuina lectio excellentiam Sanctitatis Christi indicat) una voce fiat mentio, Petrus insuper *σαρκός* nomen explicat, quando altera vice, versu 31. Psal- mi verba repetit, superaddit; ex quo clarum mihi sub- ortum esse videbatur indicium, non esse vocabulum Nephesch, qui alias genius sacrarum linguarum solet esse, Interpretis Tui §. 45. notatus, reci- proce reddendum, sed de ea Christi parte, quæ carni è diverso opposita est, quæque vinculo itidem mortis separatim detenta, intelligendum, commu- ni scilicet animarum humanarum, cujusmodi & latronis alterius fore præ- dixerat Christus, forte seu domicilio ad resurrectionem usque in Scheol usa. Eaque in re me causamque meam oppido juvat ejusdem Petri ora- tio, versu citato 31., utraque enunciatione Davidem præscium de Resur- rectione Christi, quam scilicet status animæ *ἐν ᾧδῃ* & carnis ante putredi- nem imminentem antegressus est, esse locutum perhibens. Unde aliorum hæc trahi, nec scopus Apostoli, neque etiam verborum Psal- mi XVI. concinna, fatorem Christi seriem observans, cohærentia permittunt, nec in- vita pollicitatione Latroni respicienti in cruce facta, ut abunde osten- sum fuisse reor. Quare non nisi unus idemque difficillimus superest scrupulus, locus nempe 1. Petri III, 18. 19. 20. celebris, quo prope solo tan- quam Sacra ancora vulgo nituntur Compendia nostra præstantiora. Id enim, quod à nonnullis ex Epist. ad Ephes. IV, 6. huc applicatur dictum, de descensu Christi in carne facti conspicui, sec. Pauli doctrinam 1. Tim. III. ult. coll. Pf. CXXXIX, 15. sive quod mihi est verosimilius, de sepultura ejus- dem coll. Matth. XII, 40. saniorum consensu videtur accipiendum, atque  
hinc

hinc adscensioni quoque veluti antegressum quiddam, à Paulo præponitur. Eam igitur ob rem de Petrina solum sententia dispiciendum erit, & ex orationis totius structura præsertim, quorsum collineent cuncta, investigandum. At verò, quocunque me vertam, non aliud agere Apostolum deprehendo fortissimum, nisi ut ad parem animi præsentiam hortetur suos, & efficaci solatio adversus persecutorum obtrectatorumque cum violentiam, tum procacitatem ac in impietate pertinaciam corroboret ac muniat, idque argumentorum non unius generis pondere, quorum nonnulla à Christianorum vocatione *ψ.* 9. à divina providentia & justitia *ψ.* 12. à rubore ipsismet adversariis inconcussa patientia incutiendo *ψ.* 16. à divina voluntate & ærumnarum salubritate *ψ.* 14. & 17. petita esse patet; quædam verò subsequens orationis series comprobatur, desumpta esse ab exemplo Christi, fidelium cunctorum Magistri, qui & nuper demum & jam olim hujusmodi multa ab hominibus nequam perpeffus sit injustissima. Ea nimirum omnia cum læta tandem Catastrophe, partim Salvatore ipsam, partim pios sanctosque attinens exceperit, hinc etiam fore inquit Apostolus, ut ipsi quoque, ad quos Epistolam miserat, postremum, sacri, quod cum Deo in baptismo inierint, fœderis virtute, & resurrectionis Christi vivi jam ad dextram Patris sedentis, tanquam Omnipotentis Opitulantis sui auxilio optatum consequantur exitum; idque præter alia c. IV. initium, instar conclusionis particula *¶* huic usui destinata capiti III. connexum confirmat, ex præcedentibus vestigia Christi premedanda nobis esse aperte docens. Jam autem, quod ad exemplum Christi attingit, nihil dubitationis superest, quin passione infantis Jesu, intimaque voluntate erga nos ad eam subeundam compulsi, sed post exantlatas afflictiones ipsamque mortem superatam in vitam redeuntis, certissimum consolationis momentum comprehendatur superiori quoque Cap. II. conspectui jamjam expositum, & indubiam membris Christi spem de eventu haud impari suarum calamitatum faciens; Quæ verò ratione prædicatio illa, quæ proxime subjungitur Spiritibus infidelium facta huc spectet, disquirere operæ pretium erit; eo certe valere injecta statim & tam operosa ac verbosa ejus mentio ostendit. Equidem, ut, quod res est, fatear, si de eo descensu accipiam, quo per passionem & mortem devicto Dæmone, victoris ac Triumphatoris instar apparuerit, & secundum animam atque corpus inferorum incolis Dominum se summa majestate pollentem, quæ vulgaris est descriptio, exhibuerit, consolationis robur haud intelligo; Ut verò, si de præconio pœnitentiæ atque Evangelii interpretare, Noachi ministerio, ob id præconis justitiæ titulo ab eodem Apostolo

D

2. Epist.



2. Epist. II. ubi explicatius hoc argumentum exponitur, condecorati, sed per contumaciam ab æqualibus rejecti, quæ ignominia in Christum utique, cujus ille nutu prædicaverat, redundabat, omnia in aprico posita sunt, video. Etenim, sic me haud monente, dilucide apparet, non modo ab humana natura Christi, sed quod majoris omninò momenti erat, à Divina quoque, jam dudum improborum hominum pervicaciam pæne incredibilem æquo animo diu tolerante, eademque Virtute cum salutem scelestorum antediluvianorum quantumvis innumerabilium pridem expectante, tum verò etiam, probos piosque quantumvis perpauços, ab excidio universo præservante, (qua spe sustentatos suos etiam adversus impiorum multitudinem meliora sperare Petrus jubet) argumentum deductum esse invictum & à priori diversum, quod ex altera Compendiorum plerorumque sententia vix exculpere licet. Nec est, quod orationem Apostoli ad divinam sive naturam sive virtutem ac potentiam (perinde enim id est) respicere ambigam, cum animam Christi, id, quod  $\psi$ . 18. memoratur  $\piνευμα εν φ ζωοποιηθεις$ , designare nemo affirmet, nisi qui eandem quoque vita ante functam resurgendo quoque vitæ priori redditam esse perinepte crediderit. Quodsi verò, divina natura seu virtus Christi, more Scripturæ consueto Rom. I. ac I. Tim. III. inprimis obvio, Spiritus voce heic innuitur, non alia quoque natura  $\psi$ . 19. ubi de prædicatione Spiritibus facta insit Apostolus sermocinari, intelligenda erit, iisdem quippe verbis, ad priora respectantibus,  $εν φ$ , addita insuper copulante particula  $και$ , veluti digito, id ipsum demonstrantibus. Utut enim ad divinam quoque potentiam, qua inferis comparuerit triumphator Christus, idem vulgo referant Nostri, tamen nisi, quæ Divinæ naturæ ante incarnationem accidissent, in medium asserre placuisset Petro, alia fortasse cum  $ζωοποιηθεις$ , quod præcipuum in vulgari nostratium est opinione, connectendi particula, e. g. qualis, quo tempore, quo statu, cujusmodi &c. textui congruentior fuisset, virtute quippe divina, qua descendit Christus, nihil prope monenti, quemadmodum, quod anima & corpore iterum junctis victor mortis & orci eo migravit, habente. Accedit ad hæc adverbium admodum memorabile  $ποτε$ , temporis quorsum hæc spectent dudum præterlapsi constans nota. Nam etsi codices, quibus hodiernum utimur, vulgares, versiculis instructi & incisis, quorum recentior est origo & ingens sæpenumero discrepantia, antiquitas certe textui neutiquam æqualis, id à verbo  $ενηγουξεν$  remotum sistant, ego tamen, cum verbo isthoc vel eo nomine, pronunciatione sensui consulente, jungendum arbitror, quod non olim tantum infideles isti hominum perdi-

tiffi-

tiffimorum Spiritus fuerint, sed in omnem quoque æternitatem futuri tales sint, nisi fortassis in orco ad fidem in Christum perducendos Novi Evang. præco putaverit. Eandem porro etiam cohærentiam naturalis verbi cum adverbio comite, ac participii cum nomine suo nexus, quem Grammaticum appellant, postulat, ut vel hinc pateat, incisõ causam non nisi Roberti Stephani sectionem dedisse, hanc verò in Tmematia divisionem, uti narrat Henr. Stephanus Præf. ad Concord. Græc. à Parente Lutetia Lugdunum petente inter vias & cujusque capitis cacacopen, magnam inter equitandum partem confectam, i. e. deproperatam esse; quod etiam celebris loci 1. Tim. III, 15. & 16. de Ecclesia, veritatis columna & stabilitamento exponi & anxie vindicari soliti, adspectus & consideratio attentior, ad mysterium de Christo isthæc verba pertinere docens, comprobatur, quo insuper rerum à Christo gestarum summario nihil de hujusmodi ad inferos descensu memorari, non esse de nihilo censemus. Cæterum, particulæ πὸς significatum heic ego tantopere haudquaquam urgendum putarem, nisi similem ejus trajectionem, & post verbum, cum quo cohæret, situm alia quoque loca per multa, ut Rom. VII, 9. Galat. I, 13. & 23. Ephes. II, 3. Coloss. III, 7. &c. minime insolentem esse ostenderent. Verum, & hæc omitto, atque ad ipsum actum Christo Petri verbis adscriptum τὸ κηρύττειν scilicet, progredior, ejusque verbi notionem, pro manifestatione & præsentia reviviscentis exhibita ab usu linguæ Græcæ alienam, pro prædicatione vero, seu denunciatione, quæ sonora fit voce, cum alibi tum in N. T. perpetuam, & per Noachum promulgata Evangelii doctrina congruentiorem unice admitto, quoad exemplis adversa sit firmata sententia, ejusque rei Cap. seq. IV, 6. non spernendum invenio firmamentum; ubi nimirum quod hic κηρύττειν dicebatur, per εὐαγγελίζειν, quod ad damnatos in orco haud quadrat, explicatur; de iisdem verò mortuis, eo, quo Epistolam scripserat Petrus, tempore, sermonem esse inde liquet, quod commode ad alios, quam hos antea memoratos referri oratio nequit, posthæc, ut ex hac atque 2. Epist. III. videre est, Apostolo nostro primi orbis diluvio sublato & extremi igne delendi comparatio non insueta est, judicium denique solemne κατ' ἀνθρώπους, in conspectu hominum ad mortuos universos non satis apte potest applicari. Et quanquam vitam, quæ in Deo est, non satis commode, undis diluvii olim submersis convenire certum est, tamen, si de scopo & destinatione Dei ad extrema judiciorum ingruentium tempora gratiam benigne offerentis, non de eventu, sive, non de eo quod factum, sed quid fieri debuerit curaveritque Deus, dicta Petri intelligas, difficultas erit sublata. Sed, ut in viam redeam; Cur istos potius, qui



Noæ ætate ex hac vita excefferant increduli, quam alios multo plures exprimere nominatim maluerit Petrus, causæ nihil esse video, nisi singularis quoque Noachi, Christi jussu & autoritate divina quondam verbum Dei annunciantis, seu Christi per Noam prædicantis notata sit operatio, eaque novellis Christianis orbe jam renovato haud dissimilia passis solatio ac exemplo futura inculcetur. Geminus restat scrupulus, quorum uterque, ut existimo, plerosque in errorem rapuit, non veritatem sed antecedentium gregem ut sequerentur, inductos. Alter nimirum in vocula *προσευδεις* migrationem de loco in locum vulgo signante, latens in causa videtur fuisse, ut vocabulo isthoc crasse accepto, sicuti & sono, fateor, prodit suo, descensum Christi ad inferos, adscensui in cœlum, at longe firmioribus fulcris Scripturæ S. nixo æquiparantes fabricarint; Alterum verò, quod ex participio præcedente *ζωοποιηδεις* exortum est, dubium plerisque Theologorum persuasit *ζωοποιηδεις* Christum cum triumpho ingressum in orcum, vivum se & victorem mortis solemni pompa commonstrasse ejus incolis. Quemadmodum autem hæc sententia indubie argumenta Petri diversa, discretè à nobis supra digesta, à Christi tum incarnati, tum ante incarnationem fata partite exhibentia, prorsus permiscet, ita in eum quoque impingit lapidem, quod, quæ de Christo in vitam reducto, eademque persona affirmat Apostolus, ad eandem quoque naturam & sortem insuper ejusdem naturæ sublimiorem, quam post resurrectionem obtinuerat, coarctat atque adstringit, eum qui mortuus erat & resurrexit, etiam quatenus resurrexit & secundum eas partes, secundum quas vitam recepit, Spirituum tunc in carcere existentium præconio defunctum esse perhibens, contra orationis nexum, qui vocabulis *ἐν ᾧ* non nisi de natura divina, qua vitam reddiderit sibi, & olim quoque prædicaverit per Noam his, qui in præsentî carcerè detineantur inclusi, agi, ut supra observatum est, tradit, de hujuscemodi verò præconio plane silet. Nimirum, qualem antecedens passio & quam lætum habuerit exitum, isthoc in vitam reditu declarat, non autem qualis & quantus Spiritibus prædicaverit Christus docet, in alio quippe solatii contra infidelium pertinaciam genere jam occupatus Apostolus, aliter hinc Christum considerat. Quod verò ad alteram difficultatem priori loco commemoratam attinet, per mirum mihi accidit, non perspexisse quemquam, quos ego vidi interpretum, Petrum patrio & genti suæ proprio, linguæ etiam externæ accommodato genio vocem *προσευδεις* adhibere, non vulgari scilicet & trita ubivis veri progressus, seu motus de loco in locum notione, sed ad diuturnam potius continuationem actus prædicandi signandam, eum in modum, quo

quo Interpr. Tui omni laude majoris §. 109. de Ebræo Halach & erudite differis, & exemplis selectissimis Genes. XII, 9. Jon. I, 11. 1. Sam. II, 26. Esth. IX, 4. Jud. I, 16. IV, 24. III, 13. quorum pleraque etiam participium ejus verbi sistunt, confirmas. Cujus idiotismi Sacræ Linguæ & in Nov. Test. tam aperta deprehenduntur vestigia, ut pertinax alioquin Ebraïsmorum ofor Erasmi Schmidius ad Actor. IX, 31. non potuerit diffiteri verba ejus loci: Ecclesiæ per totam Judæam & Galilæam & Samariam fruebantur pace *ομοδομύμενοι καὶ πορευόμενοι ἐν φόβῳ τῆ θεῆς* &c. vi veri Hebraïsmi de continuo incremento ædificationis explicanda, & Germanorum formula: *Burden je länger je mehr erbauet* commodissime reddenda esse, eamque in rem illustrem locum 2. Sam. III, 1., quo iterato de utraque Davidis & Saulis familia, de illa holech vehhasek, de altera verò, holech vdalim dicitur, alteramve continuo magis magisque incrementa, alteram decremента cepisse sensus est, allegat, interpretationem istam B. Balduino acceptam referens; Cui nos in præsentî Luc. VIII, 14. ubi de virtute verbi divini auribus percepti, sed inter curas rerum hujus vitæ caducarum successu temporis sensim magis magisque suffocati, sermo habetur, jungimus, neque quicquam veremur, ut ex ejusdem verbi usu notione pervulgata paullo post *ψ. 22. nostri 1. Petr. III. capitis repetiti* hæc interpretatio dubia reddatur, cum verbo cuidam socio, quod idiotismus Linguæ sacræ exigit, posteriori loco non æque jungatur, uti priori, atque hinc aliter seorsim positum aliam etiam atque consuetam significationem requirat, quam & unius vocabuli *πνεύματι* & diversa notio *ψ. 18. & 19.* occurrens huic nodo solvendo sufficiat. Quibus rebus denique manifestum existere arbitror, non esse necesse, ut *τὸ πορευθεῖς* & hoc loco Petrino migrationem, ac quasi quandam deambulationem seu processum de superis ad inferos designet, sed pro rerum, de quibus agitur, conditione & historia Vitæ Noachi, ac prædicationis ante diluvium Christi nutu ejusque impulsu Spiritus habitæ, rationibus, continuationem diuturnam perque gradus auctam, seu magis ac magis longo temporis intervallo inculcatam, perque illam divinæ voluntatis, eaque spreta pœnarum denuntiationem multoties ingeminatam, delineare, qua de re fusius monumentis Scriptorum Mosaicorum Genes. V. VI. VII. VIII. proditum est. Atque id ipsum non cum expectatione solum vitæ ab improbis emendandæ diu multumque frustra procuratæ, verum etiam cum exitu, partim immorigeris gravi & miserabili, partim fidelibus salutari, qualem & suos, utut impiis aliquandiu ferocientibus, expectare jufferat Petrus, mirifice conspirat. Quæ cum ita sint, neque præter hunc Apostoli locum, omnium consensu perobscu-



rum, alius in medium proferri pari saltem, nedum majori veritatis specie etiamnum possit, causæ nihil est, cur inter capita fidei Christianæ hoc, quod de descensu ad inferos Resurrectionem (quam à vivificatione discernere næ! subtilitas est arista ut acutior, ita fragilior, Scriptura vocabulo utroque promiscue certe utente,) instar triumphii cujusdam sequente, vulgo traditur, dubitanti recipere, male vertatur, ei præsertim, cui inconcussis divinorum oraculorum testimoniis, quam auctoritate hominum fallaci, niti potius est. Ego profecto, ut in summa, quod superest, complectar, si Apostolici Symboli ordinem ex rerum ipsarum serie constitutum sequar, Evangelistarum posthæc universorum altum hac de parte Christianæ doctrinæ silentium, quorum tamen Historia ejus, ut cæterorum ad ascensionem usque gestorum, sedes esse debebat, tuear, ac malorum denique Dæmonum vel sine eo descensu, sive potius, cum in aëre versari eosdem testetur Scriptura, adscensu, strage, crucis ac resurrectionis triumpho satis declarata fruar, non magis à veritate salutaris aberrare me credo, quam qui prædicationem istam triumphalem tantopere urgent, quid verò prædicatum sit apud inferos Spiritibus, ipsi cum ignarissimis ignorant, aut quem in cruce egerat triumphum Salvator desideratissimus, contra Apostoli Coloss. II, 15. verba clarissima, ad inferos pertrahunt. Scilicet ut illi Scripturæ S. integritati quidquam detrahere magnopere verentur, ita ne quid addam, piam, quæ me incessit, formidinem nolim in crimine vocari. Non tamen ita pertinaciter huic inhærere meditationi & scriptioni quoque, ut apparet extemporali, statutum apud me est, ut monentibus meliora cedere nolim; Illud verò, cura mihi, fateor cumprimis esse, Tuam ut animadversionem castigationemque in has cogitationes impetrem, quibus etiam, ut limam peraccuratam inducas novissime, iterum iterumque vehementer rogo. Si displiceant, magnum me Opinatorem fuisse non diffitebor, cognitorem verò & ipse publicè negabo. Sin verò non omnino improbaveris, erunt forsan, quæ de Momento Controversiarum inter nos Reformatosque agitarum, ex ipsius Salvatoris Optimi Luc. XIII, 23. 24. mente verbisque eruendo perscribenda, Tuæque itidem censuræ submittenda sint. Quæ, dum in ordinem redigere per negotiorum incumbens onus aliquantum prohibeor, cogitata hæc velim perlustres, sententiamque Tuam, si per occupationes licebit, perpaucis rescribas, ac, quæ non postrema felicitatis mihi pars adhuc visa est, imposterum quoque amore complectaris

*Devotissimum Tibi*


**A. N.**



ED - Beg 2002

01 A 6739

ULB Halle  
003 096 890  
ULB Sachsen-Anhalt  
Abgeschl. 2008  
naturm.




Sb.

D.

Reh. ✓

41  
Juli





A.  
JOH. ANDR  
P. P. JENENSEM  
PECC  
SPIRIT  
DESCENSV  
AD IN  
EPIS



Sumptibus JOHANNIS JA

